J. U. D.

URBANUS RATTAZZI

AB ALEXANDRIA

UT

IN AMPLISSIMUM JURISCONSULTORUM COLLEGIUM

COOPTETUR

IN REGIO TAURINENSI ATHAENEO

ANNO MDCCCXXXVI, DIE XVI JUNII,

HORA VIII CUM DIM. MAT.

Facta cuilibet post sextum argumentandi facultate.

TAURINI

EX TYPIS SPEIRANI ET SOC.

DE USURIS

AD LIB. XXII, TIT. I PAND.

Quamquam in se spectata pecunia non ita magni momenti res dicenda sit, quippequae nec frigus nec famem depellere, nec aegroto corpore febres deducere, nec ullam aliam humanam necessitatem potest explere, adeo ut inter acervos auri homini, caeteris praesidiis destituto, pereundum foret, ob eidem tamen impressam facultatem res alias quascumque in commerciis hominum repraesentandi, ingentem admodum utilitatem adepta est, ut una in se divitiarum omne genus continere videatur. Pecunia sane intermini emuntur agri copiosos fructus laturi: ampla extruuntur aedificia, extructa instruuntur, exornantur: pretiosa comparatur supellex: convivia celebrantur amicorum splendida; equis, famulis repletur domus; filii in liberalibus artibus, et scientiis instituuntur; educantur, et nuptui collocantur fae-

minae: quaecumque denique hanc nostram vitam beatiorem, elegantioremque reddunt, pecunia ſerme omnia perfici, atque obtineri possunt; ita ut quamvis Poeta cecinerit

> Pauca licet portes argenti vascula puri,
> Nocte iter ingressus gladium, contumque timebis,
> Et motae ad lunam trepidabis arundinis umbram:
> Cantabit vacuus coram latrone viator (1);

vix tamen aliquid sit, quod magis anxie, ac sollicite quaerant homines quam pecuniam; vix contra aliud, quod faedius, tristius, miserius habeant quam ipsa carere.

Porro si tantam pecunia adſert utilitatem ob eam, quam diximus ipsi inditam res caeteras repraesentandi potestatem, decebat profecto aestimari utilitatem hanc ex ejus usu proficiscentem, atque illi, qui pecuniae commoditatem sponte alteri tradidit, aliquam tribuere compensationem. Id factum est inductis usuris, quarum revera nomen indicat in pretium eas dari usus, qui conceditur, pecuniae; nam ab usu usurae dictae sunt: de iisdem breviter acturus exordiar a fontibus, a quibus ipsae manare solent.

I. Usurarum fontes sunt, ut aliarum generatim omnium obligationum, hominis factum, seu conventio, et legis auctoritas: hi duo fontes distingui debent, quia etsi ad vim quoque dandam conventioni usurarum necessarius sit legis concursus, ta-

(1) *Juvenalis sat. x, v. 19.*

men in iis casibus, in quibus conventio requiritur, si praetermissa fuerit, nulla potest intelligi usurarum obligatio: non desunt e converso alii casus, in quibus citra etiam speciale contrahentium pactum, ex solo ipsarum legum praescripto debentur usurae.

Attento hoc duplici fonte, alia quacumque interpretum partitione missa, possunt usurae dividi in conventionales, et legales, quae divisio idem plane habet fundamentum, quo nititur haereditatis partitio in testamentariam, et legitimam.

II. Conventionales usurae potissimum in mutuo pendi solent: verum utrum haec obligatio per pactum assumpta usuras solvendi illius pecuniae nomine, quae in mutuum venit, omnis sit iniquitatis expers nec ne, quaestio est, quae jampridem habuit, et nostris adhuc temporibus habet suos in utraque parte patronos.

Eorumdem argumenta referre supervacuum esset: potius ut meam aperiam sententiam ajo me cum iis convenire, qui hanc tuentur obligationem, et censent licite omnino, atque honeste pactas ex mutuo exigi posse usuras; nam ut ut verum sit effatum illud - nummus nummum non parit - non omnis tamen utilitatis species circumscribenda videtur ad fructus, qui e rerum corporibus proficiscuntur: neque magis eidem obligationi refragari existimo quae ad hanc rem solent proferri sacrarum scripturarum oracula.

Ex me itaque si quis velit sine usurarum mercede mutuam dare pecuniam, hoc erit ejus gratificandi studio prorsus tribuendum; quod quidem eo liberius adfirmo, quia etsi sint ex adversa parte summi ingenii auctores, quorum auctoritatem veneror, nullum tamen adhuc in hac controversia intervenit Ecclesiae judicium, cui sane, cum fuerit prolatum, obtemperabo.

III. Quum mutuum tantum consistat in numerata pecunia, aliisque rebus fungilibus, quaeri sane non potest, an caeterae res in eo usuris subiici valeant: sed res istae non fungibiles, ut pro re nata id moneam, neque ex alia quacumque causa usurarum additamenta recipiunt: et quamvis Papinianus in specie auri, vel argenti facti per fideicommissum relicti aestimationem usurarum istorum corporum probasse videatur, cum tamen id non indistincte obtinere docuerit, sed dumtaxat si materia ita fuerit relicta, ut ea distracta, pecuniaque refecta, fideicommissum solveretur, patet eum hujusmodi fideicommissum perinde accepisse ac si non corporis alicujus esset, sed certae pecuniae quantitatis cujus propterea usurae penderentur; quam interpretationem et ab eo subjuncta ratio confirmat, ne scilicet esset impunita frustratio (1).

IV. Usuras ex mutuo deberi, si fuerint promis-

(1) L. 3, § 4, h. tit.

sae, indicavi: haec promissio, jure Romano, interposita stipulatione fieri debebat, ut ex ea actio nasci posset: secus facta, per simplex nimirum pactum, si paucos excipias casus (1), actionem non dabat, atque naturalis tantum ex eo oriebatur obligatio (2). Quod quidem accepto ferendum est doctrinae eo jure constitutae circa pacta contractibus adjecta, prout nempe adiicebantur contractibus stricti juris, quibus mutuum accensetur, vel contractibus bonae fidei.

Hodiernis moribus cum haec Romanarum legum distinctio ab usu recesserit, receptumque sit omnia pacta serio inita actionem producere, palam est simplicem etiam pactionem in mutuo, uti in quovis alio negotio, sufficere ad dandam actionem, qua usurae promissae cum effectu peti possint.

V. Hanc pactionem de usuris praestandis revera intervenisse ut plurimum doceri oportet: nonnumquam tamen intervenisse praesumitur. Finge per longum tempus praestitas fuisse usuras, hoc in casu etiamsi de inita pactione non constet, debitorem tamen damnari posse ut eas in futurum similiter solvat, auctor est Imperator Antoninus, quem Papinianus refert (3).

(1) L. 30, ff h. t.; L. 12, cod. eod.: Nov. 136, cap. 4.
(2) L. 3 et 4, cod. h. t.
(3) L. 6, ff. h. t.

VI. Coeterum, quamvis mea opinio est usuras ex mutuo tradita pecunia jure ac licite percipi posse, non tamen similiter cum iis facio, qui volunt nullum a lege esse praestituendum usurarum modum, quem impune contrahentibus praetergredi non liceat, ac pecuniam tamquam mercem aliam quamlibet considerantes, totum quod agitur negotium in paciscendis usuris ipsorum paciscentium arbitrio permittendum esse contendunt.

Exlegem hanc, atque immoderatam usuras stipulandi facultatem pestem civitati fore exitiosissimam, occasionem esse praebituram, qua immanes extorqueantur usurae, aliaque mala allaturam omnes intelligent qui ad avidam respexerint foeneratorum naturam.

VII. Sed nihilominus in hoc praefiniendo usurarum modo diversam esse posse fateor normam, quam diversis in regionibus legislator sequatur: sunt enim in hac re locorum, temporum, personarum, et alia similia adjuncta semper spectanda. Ubi commercia sunt promovenda, ubi artes excitandae atque industria, vel alia quaevis grandioris molis opera suscipienda, expediet ibi tenuiorem servare mensuram ad alliciendos etiam cives, ut mutua accepta pecunia lubenti se animo illis operibus adplicent: e converso graviores usurae concedi poterunt si nos in ea civitate versemur, in qua commercium, atque artes floreant, ubi propterea majora sunt quae a pecuniae

negotiatione, et usu obtineri possunt emolumenta.

VIII. Quantitate vero usurarum quam nefas sit excedere semel statuta, si postea adjuncta mutentur, poterit, imo debebit ipsa quoque mutari: attamen quamdiu haec mutatio per ipsum legislatorem facta non est, praescriptam illam quantitatem cives servent oportet: quod ita intelligendum est, ut nemini liceat supra eam pacisci: nam si quis leviore contentus sit, cum posset et nullas usuras exigere id sane semper erit in ejus potestate.

IX. At quaeri potest an eo in casu, quo supra modum a lege constitutum pactae sunt usurae, salvem pro quantitate, quae intra terminos a lege positos consistit obligatio sustineatur? Jus Romanum utique ad hanc usque quantitatem usuras peti posse voluit, quasi quod amplius adjectum est, tamquam illicite adjectum pro non adjecto esset habendum (1): huic ego juri me adjungo, idemque rationi consonum, atque aequum esse agnosco.

X. Alia hic quaestio est, quae ex Romano jure agitari potest, et in qua video clari nominis interpretes in diversas abiisse sententias: nimirum cum pactum quidem initum fuit de usuris praestandis, nulla tamen expressa quantitate nec quae a lege est determinata, nec alia infra eam, valebit ne pactum ut debeantur usurae legitimae, seu quae ad modum

(1) L. 29, ff h. t.

ascendunt a lege definitum, an potius quia incertum est quid contrahentes voluerint nullius momenti esse dicemus? Hoc postremum tenet Donellus, quem sequuntur alii: ipse tamen ab eo recedo, magisque probo quod non paucis item placet, ad modum in lege generali comprehensum usuras tunc peti posse, quia revera tacite ad eum contrahentes se retulisse videntur (1).

XI. In stipulatione usurarum terminos esse a lege constituendos supra monui, quos si contrahentes egrediantur impune ipsis non sit: id variis legibus assequi Quiritibus cordi fuit: idem patrius cavit legislator.

XII. Jam animadversum est, quod quis supra legitimum modum stipulatus esset, Romanos tamquam non adjectum habuisse, salva nihilo secius stipulationis vi ad praescriptum usque modum (2): nulla propterea intuitu istius quantitatis excedentis neque naturalis, neque civilis obligatio nascebatur, nec poena tenebat si quae esset adjecta (3), nec minus irrita erat quae intervenisset pignorum, fidejussorum, aut mandatorum accessio (4): imo et quae jam essent praestitae usurae ultra legitimam

(1) L. 6, ff h. t.

(2) Num. 9.

(3) L. 44, ff h. t.

(4) L. 19, cod. mand.; L. 20, eod h. t.

quantitatem tamquam indebitae repeti poterant (1), ita tamen ut si sors ipsa nondum fuisset soluta in eam potius essent imputandae (2).

XIII. Ad anatocismum quod attinet, seu usurarum usuras, tantum non semper eorumdem Romanorum legibus vetitum eum fuisse constat: nam a Cicerone habemus relatum edictum quod ipse Proconsul Ciliciae proposuerat ejusdem incolis, quoque declarat se usuras centesimas cum anniversario *anatocismi* esse servaturum (3). Sed demum Justinianus constitutione sua qua ad veteres lege provocat iniquitatem anatocismi, ut et fraudes, quae excogitatae fuerant ad illas eludendas penitus amputavit (4).

XIV. Constat item adversus eos, qui immodicas usuras exigebant, infamiae poenam ab Imperatoribus Maximiano, et Diocletiano fuisse decretam.

Hanc non sufficere ad improbos coërcendos foeneratores patrius legislator censuit, et notum est inter alia Amaedei VIII edictum quo ipsi confiscationis poena subiicebantur, quae poena eos etiam post fata manebat, ubi nimirum iis jam fato functis crimen fuisset detectum atque probatum (5).

(1) L. 26, § 1 de cond. ind.
(2) D. L. 26.
(3) L. 5, ad attic. ep. fin.
(4) L. 28, cod. h. t.
(5) RR. CC. lib. 4, tit. 34, cap. 14, § 1.

XV. Qui porro fuerit apud Romanos legitimus usurarum modus judicari vix potest in tanta, quae intercessit apud eos diversis temporibus, ad hanc rem, varietate.

Ante exactos Reges pendebant usurae a contrahentium arbitrio, seu potius, uti Tacitus loquitur ex locupletium libidine (1): legibus XII tab. usura unciaria statuta est, quam viri docti intelligunt de parte duodecima usurae centesimae: sub Tito Manlio Torquato, et Cajo Plauto Consulibus anno U. C. 406 haec unciaria usura semiunciaria facta est (2): postea lata lex Genucia, qua omnes usurae prohibitae (3). Foeneratorum audacia oppressa lege, cum iterum asperrimae frequentarentur usurae, Praetores probarunt centesimas, quae duodecim in singulis centum creditoribus afferebant: has tamen nec omnibus satisfecisse probabile est, cum Horatius Fufidium quemdam memoret qui quinas centesimas accipere non dubitabat:

> Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque
> Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget.
>
> *Serm. lib.* 1, *sat.* 2, *v.* 14.

XVI. Demum Imperator Justinianus sublata centesima permisit centesimae bessem negotiatoribus,

(1) Annal. lib. 6 cap. 16.
(2) Liv. lib. 7, cap. 27.
(3) Liv. cit. lib. cap. 42.

in ceteris communem usuram esse voluit centesimae semissem, nisi tamen de viris illustribus ageretur, quos praescripsit non egredi posse trientem: hanc suam constitutionem etiam ad eos retro pertinere jussit, quibus et stipulatione facta ampliores deberentur usurae (1).

XVII. Penes nos ex Regiae legis praescripto (2) pro mercatoribus recepta est illa, quam Justinianus communem statuerat, usura semissis: ceteris non mercatoribus usuras tantum quincunces stipulari permissum est, seu unum trientem centesimae cum duodecima singulis mensibus, unde efficiuntur quinque pro singulis centum in annum.

XVIII. Quid porro si diversa sit usurarum, quae permittitur quantitas duobus in locis, et uno in loco contrahentes negotium gesserint, in altero domicilium habeant? Erit lex loci contractus attendenda juxta generalem regulam conventionum, et secundum eam licitae, aut illicitae habebuntur usurae. Locus autem contractus ille dicendus, in quo pecunia solvenda est, non in quo negotium gestum, nisi aliqua ratione constet ob eam potissimum causam a contrahentibus peculiarem locum fuisse electum, ut acerbiores ideo paciscerentur usuras.

XIX. A quo nam tempore currant usurae con-

(1) L. 26, § 1, et L. 27, cod. h. t.

(2) RR. CC. lib. 2, tit. 16, cap. 2, § 24.

ventionales nunc videamus, et quibus ipsae sistantur modis.

Regula est a die conventionis usuras incipere si conventio pure, et simpliciter inita est: nam si ex certa die, aut conditione adjecta, veluti *si sors soluta non fuerit*, vel si majores promissae, *si minores, de quibus prius convenit non fuerint solutae*, non current nisi adveniente die, vel existente conditione. Desinere autem in eum diem, quo creditori solutum est, aut ipse sibi solvit, uno verbo quum debitoris obligatio distracta est: sed praeterea sunt alii modi sistendi cursum usurarum, aut saltem earum minuendi quantitatem, quos leviter attingere opportunum est.

XX. In primis oblatione pecuniae a debitore creditori facta, ejusdemque, si acceptata non sit, adito judice, obsignatione usurarum cursum sisti ne dubitari quidem potest, cum oblatio et obsignatio locum solutionis teneant (1): oportet tamen omnem pecuniam debitam fuisse oblatam, et obsignatam: si partem tantum debitor obsignaverit, neque intercesserit lex, qua esset permissum et particulatim quod debebatur exsolvere, non retardari tunc totius debiti usurarum praestationem testatur Modestinus (2).

(1) LL. 6 et 19, cod. h. tit.
(2) L. 41, § 1. h. t.

XXI. Ob eamdem rationem quod solutionis species habeantur et ipsae quae locum habuerint novatio et acceptilatio faciunt, ut ex ea die usurarum ratio amplius haberi non debeat (1). Novatio autem vera, et propria intelligenda est; quae tantum per litis contestationem accidit, eumdem non habet effectum (2).

XXII. Non ulterius item progredientur usurae, cum earum summa sortem jam exaequare coeperit (3). Quoties itaque solutionis tempore usurarum summa excedat sortis computationem, nonnisi alterum tantum sortis praestandum erit usurarum nomine. In usuris quincuncibus duplum hoc locum habet post lapsum viginti annorum.

XXIII. Praescriptione quoque crediti perimuntur usurae, et quidem non futurae tantum, sed et quae adhuc praeteriti temporis debeantur (4); neque enim sunt aliud quam ipsius crediti accessiones.

XXIV. Quid si nondum absoluta fuerit crediti praescriptio, verumtamen a longo jam tempore non petitae proponantur usurae? Longum temporis intervallum, quod effluxerit, aliis adjuvantibus conjecturis, praesumptionem inducet eas fuisse remis-

(1) L. 18 de novat.

(2) L. 35 eod.

(3) L. 10 cod. h. t.

(4) L. 26 cod. h. tit.

sas: ita quidem intelligo Divi Pii rescriptum, quod continetur in lege 17, § 1 hoc tit.

XXV. Demum haec eadem usurarum remissio colligi poterit si sortem creditor sine ipsarum additamento receperit: liberum namque ei erat, si hanc voluntatem non habuisset, quod a debitore solvebatur in usuras prius, dein in sortem imputare (1).

XXVI. Modis hactenus recensitis, vel cursus usurarum sistitur, vel usurae ipsae penitus tolluntur: earum quantitas erit simpliciter imminuta, cum qui graviores debebat, per multos annos, nulla unquam interposita mora, leviores solvit silente et adquiescente creditore, qui si deinceps graviores petat, taciti quasi pacti exceptione repelletur (2).

XXVII. Lubet porro priusquam usuras conventionales dimittam, eas saltem delibare usuras, quae Imperii nomine ejusdem creditoribus penduntur ob mutuam, quam Imperium ab ipsis accepit, pecuniam.

Pecunia haec, quae mutuo a privatis Imperio traditur, illud conficit aes alienum, quod vulgo vocant *il debito pubblico dello Stato*: usurae vero, quae pro ea solvuntur, sub nomine veniunt annuorum redditaum, *le rendite sul debito pubblico.*

XXVIII. Hoc mutui genus imperium inter et

(1) L. 5 § ult. de solut., l. 21 cod. h. tit.
(2) LL. 5 et 8 cod. h. tit.

privatos Graecis et Romanis ignotum, cujusque prima vestigia deprehendi ajunt temporibus Caroli V Galliarum regis, saeculo XIV vix dum suam medietatem praetergresso, nostris est frequentatissimum, eatenus ut nullum ferme sit summum in Europa imperium, quod haec mutua non contraxerit.

XXIX. Possem referre varios modos, et formas, quae in dies receptae fuerunt eorumdem contrahendorum; tum privilegia, quibus supremi Imperantes annuos hujusmodi redditus donatos voluerunt. Verumtamen non posset isthaec disquisitio, ut ut paucissimis coërcita verbis, non nimis me a meo instituto distrahere: dicam tantum respectu modorum mutuum semper esse sub quacumque figura ab Imperio accipiatur privatorum pecunia, quoties cum onere restitutionis accipitur, quin intersit, qua ratione haec fieri debeat. Item ad privilegia quod attinet illud memorare sufficiat quod obtinet apud nos, in vim cujus jura ad annuos illos redditus uti immobilia habentur, et hypothecam recipere possunt (1).

XXX. Verum enim vero discedere hinc nequeo intacta prorsus quaestione circa eorumdem mutuorum utilitatem, et convenientiam, quam aliter atque aliter rerum publicarum scriptores dirimere

(7) Art. 10 R. Ed. 16 jul. 1822.

compertum habeo. Equidem censeo exoptandum fore nunquam ut in eas angustias essent conjecta imperia, ut deberent ad extraordinaria remedia confugere subito corrogandae et ingentis pecuniae quantitatis ergo. Caeterum si extraordinario hujuscemodi remedio utendum sit, laudo inventum hoc, genus scilicet mutui, quo de loquor, illudque alteri cuilibet extraordinario item remedio existimo posse praeferri.

XXXI. Gradum facio ad usuras legales, quae alteram partem propositae divisionis constituunt (1): scilicet lex nonnullis in casibus, etiam absque speciali contrahentium placito usuras tribuit.

Id evenit sive ob moram a debitore commissam quodcumque sit, hodierno quidem jure, negotii genus, unde profluit crediti jus; sive ob favorem peculiarem quarumdam causarum; denique cum usurae locum tenere debent compensationis illius utilitatis, quam alter ex re nostra percipit.

XXXII. Primo itaque ob moram admissam in rei debitae praestatione debitorem in usuras damnari posse certum est, tametsi nulla interfuerit ad hanc rem contrahentium conventio (2): nec distinguitur amplius hodie inter contractus bonae fidei, et stricti juris: haec quidem distinctio fiebat apud

(1) N. 1.

(2) L. 32 § 2 h. t.

Romanos, et tantum in judiciis bonae fidei ex mora dabantur usurae, non item in aliis: ob id ipse scripsi *quodcumque sit negotii genus hodierno quidem jure.*

In mora autem constitutus debitor non ante generatim haberi poterit quam in judicium vocatus fuerit, et cum eo lis contestata.

XXXIII. Ob favorem specialem causae inductae sunt a lege usurae in actionibus negotiorum gestorum, nec non mandati, et pro socio diversis in casibus praeter moram (1); item in tutelae restitutione per illud tempus, quod praeterlabitur, antequam tutela restituatur (2); denique pro fisco, qui, ut Pauli verba referam, in suis contractibus usuras non dat, sed ipse recipit (3).

XXXIV. Postremo ratione compensationis fructuum, quos venditor amittit, ac emptor lucratur, cum fundi possessionem adquisivit, nec pretium illico solvit, venditori eum usuras pretii dare debere donec pretium exsolverit justissime constitutum est (4).

(1) L. 37 § 1: l. 19 § 4 de negot. gest.: L. 18 eod. cod.: L. 10 § 3 et 8: L. 12 §§ 9 et 10 mand. vel cont.: L. 67 § 1 et 2 pro soc.: L. 1 § 1 h. t.

(2) L. 1 § 3 h. tit.

(3) L. 1 § 5 h. t.

(4) L. 13 § 20 de act. empt. et vend.

XXXV. Usurarum, quae a lege descendunt, modus, quum non esset olim definitus, a judicibus eorum arbitrio, et ex more regionis, in qua negotium gestum fuerat, statuebatur (1). At Justinianus quam pro conventionalibus usuris proposuerat normam pro his quoque servandam esse praescripsit (2).

XXXVI. Quaeritur vero (et haec quaestiuncula finem imponet) utrum ad sistendum usurarum, quae ob moram ex legis praescripto debentur, cursum simplex sufficiat oblatio pecuniae a debitore creditori facta, etsi acceptata non sit, an ut in conventionalibus necessaria quoque sit ejusdem legitima obsignatio. Dubitandi ratio in eo sita est, quod earum praestatio effectus quasi morae esse videatur, qua propterea per oblationem cessante, non amplius praestandae sint: at ipse opinor necessariam pariter obsignationem esse, et nullum in hac parte admitti posse discrimen inter eas et conventionales: namque illa quidem vitiosa illatio est, ut scilicet quia ob moram debeantur, ideo tamquam admissae morae effectus, ea sublata, ipsae non amplius solvi debeant.

(1) L. 1 h. t.
(2) L. 26 § 1 h. t.

DE MANDATO.

AD LIB. XVII, TIT. I PANDECT.

Non nobis tantum, sed et aliis nati sumus; ex quo monemur nostrum plane esse, et in eorum qui opera nostra indigeant auxilium venire, et omnibus quibus possimus sine gravi nostro detrimento prodesse, et in quamplurimos denique beneficia conferre. Conferenda vero beneficia sunt ex solo, ac simplici illius, in quem conferuntur, gratificandi proposito, quin ulla scilicet accedat tantumdem, aut forte majus aliquid, ab eo vicissim accipiendi studiosa voluntas.

Corrumperet haec penitus beneficentiae indolem; ac vere dictum est beneficium de beneficio tollere omnem, quae ex parte conferentis illud comitetur alterius lucri cupiditatem. Sed nihilominus in eo, cui beneficium collatum est, summum officium ducitur, ut gratiam collatori referat, et, si possit cum

occasio venerit, non minus quam in se collatum fuerit, aut majore adhuc mensura restituat ad imitationem agrorum fertilium, qui multo plus efferunt quam acceperunt. Ac re quidem vera, praeterquamquod nullum gratiae certius argumentum esse potest compensatione, quae offeratur, magnopere hanc simul profuturam ad beneficia multiplicanda quisque videt. Ita porro beneficentiae studio quam maxime aucto fiet primum ut pluribus quis commodis frui possit, quibus antea carere debuisset; deinde ut per eum, quem idem beneficentiae studium ingenerabit virtutis amorem, caetera officia inter homines faciliora reddantur; officia, inquam, quibus ipsi erga se, ergà alios obstringuntur, et in quorum potissimum observatione posita est magna illius felicitatis pars, quam hic assequi datum est.

Modi autem quibus in alios munifici, ac liberales esse possumus infinite pene numero sunt, et inter eos non pauci quoque contractus referuntur: hujus generis mandatum est, de quo quaedam disserere mihi proposui.

Aggrediar a definitione.

I. Definiri potest mandatum: *contractus, quo negotium aliquod ex fiducia, ac gratuito gerendum committitur, et suscipitur;* ejusque nomen a manus datione manasse creditur, eo quod in quemdam quasi symbolum fidei, quam obligabant, manus dari, et jungi vicissim inter contrahentes soleret.

II. Contractus hic ex eorum numero est, qui solo perficiuntur contrahentium consensu (1). Cum vero non intersit qua ratione a contrahentibus consensus manifestetur, ideo sequitur non solum expresse mandatum contrahi posse, ac quibuscumque verbis, quae apta sint ad consensum significandum, sed et tacite, uti in eo evenit, qui non prohibet alterum pro se intervenire, quem semper credi mandare responsum est (2): praeterea contrahi posse etiam ab absentibus per nuncium videlicet, aut per epistolam (3).

III. Venit in mandato quemadmodum allata definitio commonstrat negotium aliquod gerendum; atque hinc a commendatione mandatum differt, ex qua cum nullum in ea contineatur negotium, quod geri debeat, nullam quoque obligationem nasci certum est, tametsi forte, commendationis intuitu, in commendatum aliquid esset collatum (4). Gerendum autem negotium dico: nam quod gestum jam sit illud nec amplius committi, nec suscipi posse palam est (5).

IV. Debet negotium quod committitur esse honestum, nec legibus adversari. Rei turpis nullum

(1) Instit. lib. 3, tit. 25.

(2) L. 60 de Reg. Jur. L. 6, §§ 2, 18, et 83 h. tit.

(3) L. 1, § 1, et L. 2 h. tit.

(4) L. 12, § 12 h. tit.

(5) Cit. L. 12, § 14.

mandatum est (1); adeoque si quis mandet alteri ut sacram aedem spoliet, hominem vulneret, aut interficiat, quae per se turpia sunt, nulla ex hujusmodi mandato orietur obligatio (2): imo vero a mandati executione prorsus erit abstinendum, futurum secus, ut et mandans, et mandatarius merita coërceantur poena (3).

V. Quod si turpitudo non in re ipsa, sed in persona versetur, cujus favore mandatum est, nihilominus neque in hoc casu valere mandatum potest: hoc docet Ulpianus inquiens: si adolescens luxuriosus mandet tibi, ut pro meretrice fidéjubeas, aut ulterius directo ut meretrici pecuniam credas, idque tu sciens mandatum susceperis, non obligabitur mandati (4).

VI. Nec minus perspicuum est ejus quod contra legem sit mandatum similiter subsistere non posse (5): propterea si ponamus alicui mandatum esse, ut merces emat quarum usus, et invectio in ditionem legibus sint interdicta, nulla a mandatario erit hujus mandati habenda ratio, ad eumque spectabit potius legum servare praescriptum, quam mandatum exequi.

(1) L. 6, § 3 h. tit.
(2) L. 22, § 6 h. tit.
(3) L. 3, § 5 de Jurisd.; L. 15 ad Leg. Corn. de sicariis.
(4) L. 12, § 11 h. tit.
(5) L. 15 de condit. instit.

Quid tamen si legum praescriptum aspernatus mandatum clam fuerit executus, mercesque fecerit ut in mandatoris potestatem venirent? Nihil ne ab eodem ipse poterit repetere? Actionem certe habebit nullam: attamen mandatorem ei fore naturaliter obligatum, ut si pretium et impensas solvere nolit, quod accepit restituat verius videtur ex eo aequitatis principio, quod non patitur quempiam cum detrimento alterius fieri locupletiorem.

VII. Denique in mandato necessarium est, uti etiam ex tradita definitione patet, ut gratis ineatur, gratuito negotium gerendum et committatur, et suscipiatur. Mandatum nisi gratuitum ait Paulus (1) nullum est: nam originem ex officio, atque amicitia trahit. Contrarium autem esset officio mercedem accipere: Hac itaque interveniente locationem conductionem contractam, non mandatum existimabimus.

VIII. Verumtamen quoniam in ipsis pariter legibus traditum est mandatario ejusdem remunerandi causa salarium, sive honorarium posse constitui, ac promitti (2), quantum haec duo merces, et honorarium inter se differant explanandum est. Differunt autem quam maxime: nam merces aestimationem continet ejus rei, pro qua solvitur, nec ideo

(1) L. 1, § 4 h. tit.
(2) L. 6, h. tit.

potest intervenire in mandato quia officium quod in eo vertitur inaestimabile est, nullamque per se cujusvis generis praestationem recipit: at honorarium, cum tantum honorandi, seu remunerandi gratia detur, officium non excludit, et mandatum per se gratuitum non vitiat, uti remunerandi animus, quo quis ad donandum movetur liberalitatem ipsam non tollit. Nihilo tamen secius, et ob id fortasse, quod aliquatenus saltem a germana, et propria mandati natura honorarium etiam recedere videretur, jure Romano solummodo cum illud promissum fuerat in re certa, et nonnisi extra ordinem ejusdem persecutio dabatur (1).

IX. Quamquam vero communis contractuum regula est, ut quisque per eos tantum agat quod sua, non quod aliorum interest (2), tamen in mandato receptum est, ut quis etiam citra utilitatem suam negotium quod alienum sit alteri gerendum committat (3); quae exceptio favore mandati ab eodem fonte repetenda videtur, a quo mandatum suam trahit originem, amicitia scilicet, atque officio.

X. Alienum autem negotium dicitur, quod extraneum aliquem respiciat, non mandatarium; nam hujus proprium negotium ipsimet mandari absurdum plane esset, cum per rerum naturam fieri

(1) L. 53, § 3, hoc tit.; L. 1, cod. h. tit.
(2) L. 11 de obl. et act.
(3) L. 6, § 4, h. tit.

nequeat, ut quis illius deinceps administrationis rationes reddere teneatur (quod mandatarii munus est), quae ipsum, nec alium quemlibet praeter se afficiat. Quare ubi hoc admitti contingat, et quis alteri mandet quod ejus, cui mandat proprium omnino sit, non mandatum dicendum erit, sed simplex consilium, idemque sequi, vel non sequi pro arbitrio ipse poterit. Si autem sequatur neque ex voto cedat res, sibimet damnum quod persentiet imputare debebit, quin ullam habiturus sit actionem adversus consultorem suum, nisi forte hic dolose versatus sit, quo in casu actione ex dolo proficiscente contra eum agi posse certi juris est (1).

XI. Accedens nunc ad obligationes, quae ex hoc contractu descendunt duplicis eas generis esse ajo: principales alias, quae consistunt in persona mandatarii erga mandantem: alias non aeque principales, et quibus accidens tantum locum praebere valeat, quae mandantem tenent, eumque mandatario quandoque reddunt obnoxium: de utroque hoc obligationum genere, et quid ipsis contineatur breviter exponendum.

XII. Et primo mandatarium, qui sua usus libertate mandatum cum posset recusare, illud suscipere non dubitavit teneri postea obligatione ejusdem exequendi, saltem si res in eum statum jam devenerit

(1) L. 4 de Reg. Jur.; L. 8 et 23 de dolo malo.

ut integra esse desierit, nec aliqua ei justa causa obstet, pro certo, ac firmo habendum: quin ulla in contrarium afferri valeat ratio ex consideratione petita meri officii, quod in se mandatum continet: neque enim illud novum est non pauca, quae ab initio voluntatis sunt postea fieri necessitatis; et aliunde naturalis aequitas haud pateretur eum, qui sua negotia alterius fidei commisit, impune posse ab eodem sua ex postfacto expectatione fraudari (1).

XIII. In mandato vero exequendo haec mandatario prae oculis habenda sunt; ut ipsum reapse negotium gerat quod commissum est; illud gerat in totum non pro parte tantum, et ea insuper ratione, quae in mandato exprimitur: praeterea mandati limites mordicus servet, adeo ut ne latum quidem unguem ab iisdem recedere sibi fas esse putet: denique in rebus mandatis perficiendis eam adhibeat diligentiam, quam leges requirunt.

XIV. Si mandatarius aliud plane egerit quam quod in mandato comprehenditur, puta si cum ei mandatum esset ut domum Sejanam emeret, Titianam comparavit, non posse hoc quod egit mandantem afficere extra omnem controversiam est (2): tenebitur propterea ei de mandato non impleto, perinde ac si revera nihil ab eo gestum fuisset.

(1) L. 22 § 11. L. 5 § 1. L. 27 § 2 h. t. L. 17 § 3 commod.
(2) L. 5 § 2. L. 22 § 11. L. 36 § 2 h. t.

XV. Quod si negotium sibi concreditum mandatarius gesserit quidem, sed pro parte tantum; vel non absolute, et penitus eam tenuerit rationem, quae in mandato expressa fuit, sed aliam aliquantisper diversam, per quam ceteroquin negotii substantia non sit immutata, quamquam et hoc in casu summo jure inspecto pronunciandum videretur quod actum est mandantem non obstringere, quia in eo illud ipsum, quod mandans voluit non habemus, tamen benigniorem praeferendam esse sententiam, ac suam ei, quod ita gestum est, vim constare posse, ut omnes nascantur effectus mandati, leges ipsae declarant (1).

XVI. Eum autem mandatarium, qui praescriptos sibi limites in mandato egressus fuerit, nihil pariter intuitu mandantis egisse videri, neque audiendum esse, etsi intra terminos saltem constitutos sustineri mandatum exposceret, Sabinianis, et Cassianis placuerat (2). Verum ab iis dissentientes Proculejani, et Pegasiani nihil proponi posse ajebant cur intra hos terminos mandatum non esset sustinendum: haec, quae Nervae sectatoribus arriserat, sententia recepta fuit; atque propterea jus ita nunc obtinet, ut quoties mandatarius mandati limites transiliverit non aliter possit petere, ut suum man-

(1) L. 33. L. 45 § 4 et 46 h. t.

(2) L. 3 in fin. L. 4 h. t. § 8 inst. h. t.

datum habeat effectum, quam si paratus sit pro eo, quod excessit sibi imputare, ac sinere ut tantum ad praescriptos usque terminos mandans ei teneatur. Aliter erit devinctus non impleti mandati nomine (1).

XVII. Sed haec ita si mandans, quod a mandatario gerebatur, et quomodo, ignoravit, ratumve postea non habuit: nam sive ipse sciverit, nec cum posset contradixerit, sive deinde ratum habuerit, utroque in casu quidquid gestum est, ac quomodo libet hoc ita valere debet uti gestum fuit ex novo quod intercessisse praesumitur mandato (2).

XVIII. Sequitur diligentia a mandatario in consummando mandato adhibenda, quae quidem talis esse debet, qualem eam esse leges volunt. Verum qualis isthaec sit diligentia quae a legibus in mandatario requiritur definire, hoc mehercle arduum, hic labor est: neque enim dissimulare juvat eas admodum esse perplexas et intricatas, eatenus profecto ut, quae in earum conspectu proponitur quaestio, quam scilicet culpam mandatarius praestare teneatur, una haberi possit ex magis ancipitibus juris.

Sane uti tres culpae gradus numerantur, ita

(1) Leg. cit. et 22 h. t.
(2) L 60 de reg. jur.

totidem nec pauciores in hac quaestione recensentur diversae inter se interpretum opiniones.

Magis accepta apud plerosque ea est juxta quam mandatarius, nullo contrario pacto interveniente, de culpa semper levissima teneri debeat. Obnixa autem fronte cum istis pugnantes alii nihil amplius, quam culpam latam praestare eum oportere affirmant. Medii inter hos, ut ferme semper inveniuntur, qui levissimam expungentes, nec simul latae tantum acquiescentes culpam levem eam esse asserunt, quam a mandatario praestandam esse tum sanior legum, quae huc faciunt, interpretatio, tum natura istius contractus aeque velle videntur. Mediis istis meum est adquisitum suffragium: statuo propterea mandatarium teneri de culpa levi.

XIX. Mandato ad exitum perducto, seu iis, quae gerenda mandatarius in se suscepit, absolutis, onus ipsi deinde incumbet reddendarum rationum, quo onere omnes illos detineri non ambigitur, qui ad aliena negotia administranda accesserint; rationibus vero redditis, quidquid ad se ex gestione habita pervenerit mandatori restituet (1); refundet etiam damna ex memorata culpa levi eidem allata.

XX. Gradum faciens ad eas obligationes quibus persona mandatoris erga mandatarium tenetur, iterum animadverto solum per accidens contingere,

(1) L. 8 § 10. L. 20 h. t.

ut huic ille obstringatur : id nimirum locum habet vel cum aliquid mandatario abest ex causa prorsus mandati, et absque ulla culpa sua, vel cum idem mandatarius aliquam in mandato exequendo debuit cum aliis contrahere obligationem, qua adhuc devinctus sit. Tenetur in hisce casibus mandans quantum mandatario ea ratione abest praestare, tum liberare eum ab illis, quibus detinetur obligationibus, idque in vim juris principii, quod non sinit alicui officium suum esse damnosum (1).

XXI. Abesse mandatario causa mandati illud omne intelligimus quod ipse erogare debuit ut mandatum exequeretur, tum sumptus qui necessarii fuerunt, ut eo perveniret (2). Neque interest utrum ipse impenderit, an ejus nomine alius, qui tamen repetendi animo id fecerit (3). Si vero qui donaturus mandatario solverit pro eo, quod mandatum est, disputatur inter interpretes an in hoc casu quod ab extraneo ita solutum est mandatario abesse dici queat, sitque eidem a mandatore refundendum. Quamquam plures negant veriorem tamen affirmantium sententiam puto (4).

XXII. Alia hic est, et multo gravior, quae ab iisdem interpretibus pertractari solet quaestio : nimi-

(1) L. 7 quemad. test. aper.
(2) L. 19 § 9 L. 45 § 6. L. 50 h. t.
(3) D. L. 50.
(4) L. 12 § 1 h. t.

rum an praeter haec, quae mandati causa a mandatario impensa sunt, illa etiam quae occasione mandati solummodo, et fortuito prorsus casu mandatarius amiserit, mandator ei refundere teneatur. Pone in itinere, quod mandati explicandi ergo suscepit, a latronibus mandatarium fuisse spoliatum, vel in navigatione, naufragio facto, cuncta quae secum habebat amisisse. Hanc quam passus non fuisset jacturam sine mandato, ipse ne mandatarius feret, an mandator eam reparare debebit? Si Paulum in Lege 26, § 6 hoc tit., cujus nuper allata exempla sunt, cum Juliano ab Ulpiano relato in Lege 52, § 4 pro socio committas vix credas inter eos verum in hac re non esse dissensum. Nihilominus ipse Pauli responso adhaereo, magisque consonum existimo non esse a mandatore damna fatalia, seu casu illata mandatario resarcienda.

XXIII. Ad liberandum vero mandatarium a susceptis propter mandatum obligationibus duplex prodita est mandatori via: prima ut curet a creditore cum quo negotium gestum est exonerari eum, translata in se directo obligatione, seque vero, et proprio illius constituto debitore: altera, ut iisdem obligationibus a mandatario contractis, eas dissolvendo, satisfaciat. Hanc postremam semper insistat opus erit, quoties priori nolit creditor se adcomodare.

XXIV. Modi postremo subiiciendi, quibus man-

3

datum extinguitur, qui sunt mors alterutrius, mandantis, vel mandatarii; revocatio mandati facta a mandante; denique renunciatio mandatarii.

XXV. Primo itaque finitur mandatum mandantis morte, nec in ejus haeredes transfertur jus cogendi mandatarium, ut ipsorum favore mandatum, quod a defuncto acceperat, perficiat (1). Repugnaret sane beneficii indoli, quam mandatum praesefert, mandatarium esse adstrictum, ut quod officium erat exhibiturus mandanti, ejus deinceps haeredibus, personis fortasse sibi penitus ignotis, aut quandoque etiam invisis exhiberet.

XXVI. At enim mortuo mandante, si heredes ejus nequeunt mandatarium invitum compellere ad mandatum ipsorum gratia perficiendum, neque huic licebit si velit, eorum non expectato consensu illud consummare; et si aliquid egerit ab eorumdem arbitrio omnino pendebit hoc quod gestum est agnoscere, vel repudiare. Tantum nonnulli excipiendum casum esse putant, in quo alicujus negotiationis, vel alterius operis gestio mandatario proponatur commissa, in qua damni periculum ex longiori interposita mora esset verendum: hunc, ajunt, in mandato exequendo perseverare posse, donec illud expresse ab haeredibus revocatum fuerit, quia alioquin, et quamdiu haec revocatio locum

(1) L. 26 h. t. L. 15 eod. § 8 Inst. eod.

non habuit, tacita ipsorum voluntas praesumenda est, ut mandatarius maneat in sibi commissa administratione. Exceptionem hanc, quam commerciorum favor, et haeredum utilitas commendant, juris etiam principiis conformem esse dico (1).

XXVII. Exceptionem pariter leges induxerunt intuitu eorum, quae a mandatario post mortem quidem mandantis, sed cum eam penitus ignoraret, gesta sunt: haec siquidem valida habenda esse, ac pro iis actionem dandam cavetur (2). Ad hujus autem exceptionis exemplum aliam interpretes addunt illius nempe mandatarii, qui mandatoris quidem mortem cognoverit, sed ignoraverit ita jus esse, ut per eam mandatum extingueretur: siquid hac ignoratione ductus ipse egerit, hoc item valere debere, et actionem non esse denegandam iidem autumant (3).

XXVIII. Illud etiam quaeritur an si mandator aliquid post mortem suam mandasset agendum, hoc quoque mandatum ipsius morte sublatum intelligi debeat. Video hanc distinctionem generatim esse probatam, ut si negotium tale sit, quod tantum post ipsius mortem geri possit, veluti si mandasset ut funus suum quis ducat, vel monumentum ei

(1) L. 17 § 2 et 3. L. 11 de inst. act.

(2) L. 26 princ. et § 1. Inst. § 10 h. t.

(3) L. 57 h. t. Arg. L. 7 et 8 de juris et fac. ign.

extruat, hoc mandatum morte peremptum non habeatur secus et si eo vivo aeque perfici poterat ex communi regula judicetur extinctum. Haec sane distinctio suo in legibus fundamento non destituitur (1).

XXIX. Secundo morte quoque mandatarii mandatum finiri, quin ulla similiter ipsius haeredum ratio habeatur, certum est (2). Ac revera eo praetermisso, quod ubi plures fuissent mandatarii haeredes simul omnes ad mandatum expediendum admittere non decuisset, et aliunde nihil dici posset, cur unus prae caeteris onerari deberet, illud hic fuit animadvertendum solere eos, qui mandant, spectare fidem, et industriam personae, cui mandant: at in his omnibus, in quibus fides et industria personae eligitur perpetuum est, ut eadem cum ipsa persona expirent (3). Si tamen jam inchoatum a mandatario fuisset mandatum, et tantum aliquid ad ejus consummationem superesset, ab haeredibus tunc hoc non solum posse, sed debere explicari, argumento ejus quod de socii haerede constitutum est asserendum videtur (4).

XXX. Tertius modus, quo mandatum tollitur

(1) L. 12, § ult.; L. 13 hoc tit.; L. 14 de relig. et sumpt. fun.; L. ult. de solut.

(2) L. 27, § 3; dict. § 10, instit. hoc tit.

(3) L. 57 hoc tit.; L. 9 de curat. furios.

(4) L. 40 pro soc.

revocatio ejusdem est, quae a mandatore fiat (1). Penes mandatorem semper esse facultatem revocandi mandatum nemo dubitat: namque mandatum continet pro se beneficium; atque ita mandatario ejus exequendi jus quaesitum intelligi non potest, ut non amplius adimi liceat. Expresse autem revocatio fiet vel etiam tacite: hujus postremae exemplum exhibet qui negotium uni antea commissum, eo sciente, deinceps alteri mandat, qui sane per hoc secundum mandatum voluisse primum revocare omnino credendus est (2).

XXXI. Quaeri autem potest an si secundum hoc mandatum nullum sit, vel quia ex. gr. decessit mandatarius anteaquam mandatum ad eum pervenire potuerit, vel etiam quia illud suscipere noluit, per ipsum nihilominus debeat prius revocatum intelligi nec ne? Cum ea, quae a nostra voluntate pendent, quando nulla certa forma a lege statuta est, juxta quam conficiantur, uti in mandato evenit, non possint per illa, quae extrinsecus accidant vitiari, quia quaecumque demum haec sint numquam tamen efficient, ut quod semel in voluntate fuit, hoc voluntatis esse non dicatur, respondere non dubito etiam per secundum mandatum nullum sublatum primum habendum esse (3).

(1) L. 12, § 16, Inst § 9 hoc tit.
(2) L. 37, § ult. de procur.
(3) Arg. L. 34 de legat. 1; L. 8 de adim. legat.; L. 78, § 10 ad S.ctum Trebell.

XXXII. Caeterum illud adnotare juvabit, quae hactenus dicta sunt de hisce tribus modis, quibus mandatum extinguitur, ita esse accipienda, quatenus scilicet vel anteaquam revocatio locum habeat, vel mors mandatarii, aut mandantis contingat, res integra adhuc sit: nam si jam aliquid eo tempore gestum esset, cessat utique mandatum, sed quod gestum est tenet suosque habebit, quos parere debet, effectus (1).

XXXIII. Restat ultimo loco mandatarii renunciatio: haec, ut prosit, debet tempestive fieri, seu cum in potestate mandatoris adhuc erit eamdem rem aut per se, aut per alium exequendi: secus facta mandatarium non liberat, qui proinde tenebitur non aliter ac si mandatum plane omisisset (2).

XXXIV. Sunt tamen justae excusationis causae quas afferre concessum est tum ei, qui intempestive mandato valedixit, tum ei, qui mandatum plane omisit. Hujus generis in legibus referuntur valetudo adversa, qua mandatarius gravatus fuerit, capitales inimicitiae inter ipsum, et mandantem postea ortae: lapsa fortuna istius, unde metus esset, ne inanes fierent, quas nancisceretur ipse mandatarius contra eum actiones, ac denique si quid tale

(1) L. 26, 57 et 58 hoc tit.
(2) L. 22, § 11 hoc tit.; Inst. § 11 eod.

superveniat, ex quo alia item captio in eum, qui mandatum suscepit redundare possit (1).

XXXV. Addunt praeterea interpretes mandatarium quandoque etiam teneri, ut mandatum omittat; atque hoc toties obtinere, quoties ipse aliquid postea detegat quod a mandante ignorabatur, quodque si hic compertum habuisset praesumendus sit non fuisse mandaturus.

(1) L. 22; § 11; L. 23 et 24 h. tit.

DE INFANTIBUS
ET
LANGUIDIS EXPOSITIS.

AD TIT. XI, LIB. V DECRET.

Quantum homines belluis praestant, ob eximias illas mentis, animique facultates, quibus prae ipsis praediti sunt, tantum possunt eas in nocendo superare, si iisdem facultatibus male utantur: hujus rei luculentum argumentum est illud facinus, de quo mox dicturus sum, infantium videlicet expositio.

Ut specierum propagationi esset consultum, vehementissimum natura dedit instinctum hominibus aeque ac feris, quo ad sobolem suscipiendam, susceptamque alendam, atque curandam ferrentur; sed in feris his instinctus solus est, atque ipsae caeco quodam impetu trahuntur. In hominibus aliter se habet res: nam et rationis praesidio donati

fuerunt, qua ad idem officium ducerentur, et amor fuit inditus parentum pectoribus erga a se natos liberos, et commiserationis, pietatis aliique impressi affectus, quibus parentes ipsi magis magisque moverentur ad omnem curam suam in liberos conferendam. Nihilominus experientia ostendit sufficere simplicem illum, ac nudum in feris instinctum, ne prolem suam deserant, quoad ipsarum auxilio egeat: inter homines contra, proh pudor! inveniuntur quos tot voces simul junctae instinctus, rationis, amoris, et multitudinis aliorum affectuum haud valeant continere ne abiiciant a se procreatos liberos, eosque aut extraneorum, quam ipsi non habent, misericordiae aut mortis etiam certo periculo exponant.

I. Verum enim vero eamdem semper fuisse humanae naturae vel pravitatem vel imbecillitatem, et ab antiquissimis temporibus duros parentes consuevisse partus vix in lucem editos exponere, ex historia aliisque ad hanc rem monumentis fatendum est.

Barbaros populos mitto, a quibus plures frequentari novimus immanitatis actus: at Judaeos, Graecos, atque Romanos totidem excultas gentes hunc morem exponendi liberos frequentasse leges inter ipsos latae, ac de iisdem conceptae, nec non ea, quae possent afferri celeberrima hominum ad unam, aut alteram illarum gentium pertinentium fata plenissime evincunt.

II. Ne quis dixerit tamen hinc non adeo esse mirandum, si et nos morem eumdem exponendorum faetuum perantiquum, et humano generi ferme coaevum retineamus: nam quamvis non adeo mirum pro humana conditione videri hoc possit, minus tamen certe nos sumus excusandi, quoniam illis temporibus vivimus, quibus tot egit, agitque in dies cultus humanitatis progressus, et caeteroquin delicto, aut delinquendi animo ut plurimum sint imputandae quae solent allegari hujus sceleris admittendi causae.

III. Caeterum etsi nostra adhuc aetate perdurat exponendorum liberorum mos illud tamen nobis ex altera parte summopere laetandum est per publica hospitia ad eos receptandos destinata, tum per alia plura a legibus eorum favore cauta, nunc multo infrequentius redditum fuisse mortis eorumdem periculum, ac longe meliorem factam viventium conditionem, ut ex inferius dicendis adparebit. Interim vero rem paulo altius repetentes quid primo a Romanis de istis provisum fuisset videamus.

IV. Omnibus notum est quanta esset potestas, quam Romulus fundator concesserat Quiritibus in filios suos, quae jus vitae, et necis, nec non facultatem venundandi liberos complectebatur, quamque Decemviri integram transtulerant in tabulas suas. Idem tamen Romulus partus triennio minores, qui nec essent corpore detruncato, nec ad ullum mon-

strum, aut prodigium declinarent necari, et exponi vetuit (1).

V. An poenam aliquam adversus eos, qui secus facerent Romulus adjecisset, vel ab eo non adjectam postea statuissent Decemviri, qui ut primum illud patriae potestatis caput, ita et hoc postremum de perfectis partubus neque necandis, neque exponendis in legibus suis adsciverant (2), non recte constat. Si conjectura utendum sit, ab eorum qui exponebantur numero, quem quotidie tum crevisse ex scriptoribus discimus, verius videtur aut nullam poenam revera fuisse adjunctam, aut eam paulo post et penitus obliteratam.

VI. Sequentibus tamen temporibus, et ad eam forte nimiam multitudinem partuum, qui exponebantur, fraenandam, poenas apud eos receptas fuisse scimus ex legibus, quae de hac animadversione loquuntur, et ex quibus adparet parentes, qui filios suos exponerent poena modo extra ordinem coercitos fuisse, modo ea ipsa, quae sanctione legis Corneliae de Sicariis, et Pompejae de Parricidiis continebatur (3).

VII. Extra ordinem puniebantur qui (uti quidem

(1) Plutarch. in vita Rom.

(2) Senec. de ira lib. 1, cap. 15.

(3) L. 4 de agnos. et alend. lib. L. 15 ad leg. Corn. de Sic. L. 1 de leg. Pomp. de Parricid. L. 2 cod. de inf. expos.

ex justa illarum legum sententia existimandum videtur) eo loci foetum exposuerant in quo ex populi frequentia evenire facile poterat, imo semper evenire credendum erat, ut voluntas misericordiae amica eosdem colligeret (1). Lege vero Cornelia de Sicariis, aut Pompeja de Parricidiis tenebantur qui in solitudinem exposuissent, consilio propterea exposuissent, ac voto mortis iisdem obventurae fame, frigore, aut ferarum laniatibus (2).

VIII. Impium sane necis afferendae propositum, quod revelat desertus electus locus, a legislatore praetermittendum non erat, etsi fortuna parvulis saepe amica fecisset, ut vivus ibi infans ab aliquo exciperetur. Verumtamen Regiis constitutionibus, quibus apud nos poena fustigationis, aut carceris ad annum pro diversa personarum conditione statuta est contra matrem, quae infantem suum exposuerit, tum omnes, qui operam suam exponendo praebuerint, tantum si mortuus inveniatur expositus cautum ut debeat augeri poena, ratione habita loci, et aliorum adjunctorum, quae mortis periculum probabile reddere poterant (3). Nec praeterea legislatoris mens fuisse videtur, ut unquam poena capitalis posset infligi, quemadmodum lege Cornelia

(1) Cit. leg. 2 cod. de inf. expos.
(2) Cit. leg. 15 ad leg. Corn. de Sic. et l. de leg. Pomp. de parric.
(3) RR. CC. lib. 4, tit. 34, cap. 4, § 4.

infligebatur, cui ideo in hac parte derogasse censendus est.

IX. Praeter hanc devium inter, et patentem locum, in quo partus expositus fuerit distinctionem, causas similiter, quae ad exponendum impulerint in decernenda adversus exponentem poena attendendas esse monent interpretes. Causae porro hujusmodi frequentiores (nam multo plures esse possunt) hae referuntur, nimirum egestas, quae impares genitores facit alimentis infanti praestandis, odium vel conjugis a quo, vel sexus in quo infans natus est, spes alicujus haereditatis, aut lucri, quae sublata ipsius persona possint obvenire, denique honestatis in publico servandae famae desiderium.

X. Pro diversitate istarum causarum statutam poenam posse diversos quoque gradus recipere iidem interpretes ajunt: prae ceteris vero favorabilem pudoris causam habendam, adeo ut leniri magis, quam in aliis omnibus poena debeat si de puella sermo sit, quae blandientibus de matrimonio verbis nimis facile apertis auribus, eaque arte a pessimo corruptore ad libidinem pellecta fructum dein furtivi amoris exponendo eam labem a se removere putaverit, quam amissa castitas puellis inurit.

XI. Horum ego interpretum opinioni subscribendum puto nam ut ut malum semper idem esse videatur, major tamen, vel minor est, quae iis in diversis adjunctis pellucet exponentium improbitas.

Puellae autem intuitu, quae flagitii in damnum virginitatis redundantis celandi causa, infantem exposuerit, ideo quoque poenam laxandam addo, ne si aspera poena sit ejus metu scelestiora audeat, partumque vel adhuc in ventre perfocet, vel post ejus ortum illico enecet. Imo quoniam nunc sunt publica loca, ut jam innui recipiendis expositis destinata, ab omni poena immunem dimittendam eam, eosque censerem, qui ex libera venere conceptum infantem ad ea loca detulerint.

XII. Expositum, qui ab aliquo collectus, altus, et educatus fuisset, educatori suo tamquam mancipium, ejusdemque potestati obnoxium fieri vetus Romanorum jus decreverat (1); sed hujus juris duritiem jam ab Imperatore Constantino emollitam, qui tradito vel a parentibus, vel ab exposito ipso, vel ab extraneo quocumque educatori pretio, vel alio mancipio voluerat ei patere regressum ad ingenuinatem (2), Justinianus sustulit constitutione sua, qua cavit nemini licere in posterum puerum expositum cujuscumque conditionis esset in dominium suum vindicare (3).

XIII. An haec constitutio Justinianea patrem quoque legitimum respiciat qui propterea patriam suam

(1) L. 1 cod. Theod. de expos.

(2) L. 2 cod. de patr. qui fil. suos.

(3) L. 3 cod. de inf. expos.

potestatem amisisse dicendus sit si postea expositum recognoscat inter interpretes quaeritur? Non diffiteor numero plures esse, qui amittere ajunt, quam qui negant, et amittere S. P. Gregorium IX respondisse: mihi tamen nec sufficiens ratio adesse videtur ut amittat, nec multo minus id colligi posse ex laudata Imperatoria constitutione: negantium propterea sequor sententiam.

XIV. Verumtamen non sat potest laudari Imperator Justinianus, quod servitutem illam expositorum diutius vigere passus non sit, dignumque sua aetate duxerit eamdem abolere: quid sane erat e mortis fortasse faucibus eripuisse puerum si deinde grandior hic factus se in eum statum detrusum conspiciebat, cui extremum fatum praeferendum quam plurimi sunt arbitrati? Nondum ne sat grave infortunium videri poterat quod omni culpa vacui, hujusmodi liberi, nullius quodammodo essent in terris, nunquam possent amplexari illos, a quibus ortum habuerant, ut tristissimum aliud infortunium perpetuae scilicet servitutis iisdem esset addendum? In hac re hoc unum ipse justitiae consonum agnoscerem, idemque congruit Romanarum legum praescripto (1), ut scilicet, si aut expositus, aut ejus parentes possint, refundere educatori teneantur impensas, quas ipse fecit.

(1) L. 1 cod. h. tit., leg. 4, § 9 de dol. mal., et met. excep.

XV. Jam semel, iterumque illud attigi diebus nostris publicas esse domus, in quibus expositi recipiuntur. Brephotrophia a graeco vocabulo hae dicuntur, in iisque expositi aluntur, crescunt, educantur quoad eam aetatem pervenerint, qua per se possint propriae suae sustentationi prospicere.

XVI. Sub Imperatore Justiniano brephotrophia cognita fuisse adeoque originis illorum laudem Romanis dandam esse abunde comprobant quae Justinianus idem sanxerat ob rectam eorumdem administrationem (1). Romanorum everso Imperio, et Italia Barbaris occupata cum civili ipsorum sapientia haec quoque humanitatis instituta perierunt; mediis vero, quae successerunt temporibus, tantum illud expositorum favore invaluerat usu, et consuetudine alicubi, alibi ex peculiari legum praescripto, ut eorum curam suscipere deberent vel municipia illius territorii in quo fuissent expositi, vel illi, quibus esset inibi demandata jurisdictio exercenda.

XVII. Sed praeterquamquod frequentes erant, quae oriebantur concertationes inter municipia, et jurisdictionem habentes in territorio, ambobus hoc onus a se invicem depellere, et in alium reiicere perpetuo contendentibus, ut interim, et quamdiu Magistratus sententia, quae finem liti imponeret, erat expectanda, sub nullius cura essent expositi, iidem

(1) L. 32, et 42 de Epis. Nov. 131 cap. 15.

saepe obibant in eo ipso loco, quo fuerant expositi injuria aëris, inedia, aliisve casibus; quia tunc ad Ecclesiarum fores, ad trivia, ad fontes, ad nundinas, et generatim semper vel jam advesperascente die, vel adhuc sub obscura nocte exponi solebant.

XVIII. Melioribus fatis reversis, et ad mitiorem politioremque naturam gentibus revocatis pristina illa expositorum receptacula restituta sunt. Quae gens praeiverit coeteris in iisdem reaedificandis scire parum interest: a quacumque exemplum venerit faciles illud imitatores in aliis habuit, neque ulla exculta est istis temporibus gens, apud quam non plura inveniantur instituta brephotrophia in clarioribus saltem ejusdem urbibus.

XIX. At vero non admodum prodesset domus fundari ad expositos receptandos, nisi simul ea intus provida statueretur administratio, qua omnibus quantum licet occurratur periculis mortis infantium, eaque alia obtineantur commoda, quae ex honesta eorumdem educatione sperari possunt. Medicorum judicium esto de iis, quae ad salutem infantium referuntur. Alia prudens per se Legislator cognoscere, et decernere potest.

Eo certe spectavit Regium illud Edictum diei 15 octobris anni 1822, quod piaculum esset silentio praeterire, quo Edicto complura de infantibus expositis sapienter constituta sunt, ac eodem certa annua pecuniae quantitas assignata, quae inserviat

idoneis praebendis subsidiis infantibus expositis iis in urbibus, quae suo adhuc carent brephotrophio.

XX. Quae hactenus de brephotrophiis attuli satis ostendunt quale meum sit de ipsorum utilitate judicium: scilicet inter tot alia pia, et humanitate plena in dies recepta instituta, quorum est in auxilium venire adversus calamitates, quibus homines premuntur, hoc, quod hominem excipit a suo exordio, cum velut flos mane editus ad vesperem intercideret, maxime laudandum, et commendandum existimo. Item, atque ob idem studium in tuto ponendi infantium vitas, asylo lauda faeminis, quae extra legitimum matrimonium conceperunt, comparata ad partus suos in illis edendos.

XXI. Porro, cum tanta fuerit sollicitudo Rectorum societatum in filios expositos, quaeri potest, ubi ignoretur a quibus ipsi geniti fuerint, in quem nam demum tot hujusmodi curae sint recasurae an in eum, qui postea in civitate gloriari possit de honesta conditione, an in illum, cui sat dein esse debeat animam ducere, et salvam habuisse vitam? Paucioribus verbis quaeri potest, utrum hujusmodi expositi legitimi habendi sint nec ne? Censeo in dubio legitimos eos esse habendos.

XXII. Hinc palam fit expositum, cujus origo in obscuro sit, legitima inspecta conditione, quae in eo praesumi debet et ad civilia, et ad ecclesiastica munera esse admittendum, dummodo iis sit in-

structus dotibus, quae muneris qualitas per se requirit.

XXIII. Quod si deinceps ejus origo detegatur jura adquiret in parentum suorum familiam, quae ei competere possunt ex legum praescripto: et cum adversus non valentem agere non currat praescriptio, quae medio tempore acta sunt, et in ipsius damnum vergerent, ut ut legitimo innixa titulo, revocare tamen eum posse, et petere ut rescindantur verius videtur (1).

XXIV. Non est denique praetereundum, consultissimum fore, ut expositis baptisma impertiatur saltem sub conditione iis in casibus, in quibus certo non constat baptisma, antequam exponerentur, ipsis fuisse collatum.

In baptismate siquidem via aeternae adipiscendae salutis.

(1) L. 29 de manum. test.

THESES

EXCERPTAE

EX COMMENTARIIS.

EX JURE CIVILI.

DE PRIVILEGIIS CREDITORUM,

ET HYPOTHECIS.

I. Quum debitoris substantia universis ejusdem creditoribus dimittendis non sufficit, pro generali regula habendum est parem esse oportere omnium creditorum conditionem et causam, ac suam quemque ferre debere communis jacturae partem, nisi qua subsit peculiaris ratio, lege probata, ob quam eorum alter alteri debeat praeferri.

II. Singulare autem jus quibusdam creditoribus a lege tributum, cujus juris gratia, si cum aliis creditoribus concurrant, hisce potiores in suo consequendo habeantur privilegii nomine in hoc quidem argumento venit.

III. Profecto ad legislatoris potestatem spectabit decernere quae nam sint credita, quae vel per se spectata, vel creditoris habita ratione privilegio digna habenda sint.

IV. Legislatoris itidem erit de privilegiorum ordine pro sua sapientia statuere, ut in eorum conflictu sciri possit utrius potior habenda sit ratio.

V. Apud nos privilegia, novissima qua utimur lege, constituta, causae ut plurimum inhaerent, interdum tamen creditoris personam respiciunt, nonnumquam personam simul, et causam.

VI. In eadem nova lege, non secus ac in Romanorum jure privilegia ita dividuntur ut alia generalia sint, alia specialia.

VII. Generalia illa dicuntur, quae universam afficiunt debitoris substantiam, atque ad nomina etiam pertingunt, ita tamen ut res soli in subsidium tantummodo veniant.

VIII. Haec privilegia a legislatore conceduntur cum peculiaris subest causa, ob quam cujuspiam crediti persecutio potior haberi debeat, nec certa demonstrari possunt bona, quae prae caeteris sint privilegio subiicienda; hoc enim in casu omnia indiscriminatim debitoris bona privilegio subsint necesse est.

IX. Specialia vero ea sunt, quae vel quasdam tantum res mobiles, aut certa debitorum nomina afficiunt, vel quaedam certa ac determinata bona immobilia, quin tamen ad reliquam extendantur debitoris substantiam.

X. Quae specialia privilegia fuerunt penes nos ex laudata Regia lege introducta, eo potissimum,

si pauca excipias, innituntur fundamento, quod creditor rei privilegio obnoxiae possessioni incumbat, aut si eam quidem debitor facto retineat, creditoris tamen nomine ipsam possidere videatur, quousque huic plene fuerit satisfactum.

XI. Praeter creditores aliquo privilegio munitos alii sunt qui caeteris anteponuntur, neque cum simplicibus chyrographariis confundi possunt: hoc obtinet eorum creditorum intuitu, qui hypothecam sibi legitime constitutam edoceant iis in bonis, quorum pretium in distributionem cadit.

XII. Hypothecae nomine intelligimus jus in re creditori constitutum in securitatem ejus, quod sibi debetur; quae verba ostendunt per hypothecae constitutionem jus reale creditori adquiri in re hypothecae obnoxia.

XIII. In vim hujus juris creditor caeteris in re ipsa, ejusque pretio praefertur pro eo quod sibi debetur consequendo, dummodo non adsit alter, qui in eadem re privilegium habeat: vincit enim privilegium quamcumque hypothecam.

XIV. Si res hypothecae vinculo obstricta de manibus debitoris exierit, creditor eam poterit sequi ad quemcumque demum ipsa pervenerit, ejusque petere distractionem qua sibi satisfiat.

XV. Personalis adsit oportet obligatio, cui hypotheca accedat: obligatio haec principalis dicitur, ac sine ea ne concipi quidem potest hypotheca.

XVI. Qua ex causa principalis obligatio oriatur nihil refert, modo ipsa nec legibus adversetur, nec morum honestatem laedat, neque ab eo contracta proponatur, qui ejusdem suscipiendae potestate careret, omnesque in re gerenda solemnitates adhibitae fuerint a lege praescriptae.

XVII. Quod si talis obligatio sit quae per se possit hypothecam recipere, non est necesse, illa nata jam sit, jamque aliquid debeatur praesenti die: potest hypothecae constitutio praecedere obligationem ita tamen, ut hac demum contracta valere incipiat hypotheca.

XVIII. Poterit et illi obligationi accedere hypotheca, quae fuerit sub conditione contracta; quo casu vis et potestas hypothecae ab eventu conditionis, ut principalis obligatio pendebit: multo magis hypotheca recte accedit obligationi, quae contrahatur in diem seu certum, seu incertum.

XIX. Nihil interest obligatio, cui accedit hypotheca, propria illius sit qui hypothecam constituit an aliena; nam et pro alieno debito ipsa utiliter constituitur.

XX. Hypothecam recipiunt bona tantum immobilia, aut quae immobilium jure habentur: oportet autem, ut eadem in commercio sint, atque in debitoris bonis, vel illius, qui ipsa sit pro debitore obligaturus.

XXI. Jure quo utimur hypothecae subiici non

posse nec decumas quae Ecclesiae debeantur, aut feudalem praeseferant originem, nec jus annuae summae exigendae super certo praedio, eodemque frugifero impositae in vim illius contractus, qui census appellatur, verius videtur tum ex Regiae legis verbis, tum ex ipsius sententia.

XXII. Inutiliter bona etiam debitoris propria hypothecae subiiciuntur, quum qui dominus est rei suae distrahendae potestate caret, aut id manifeste agitur per hypothecae constitutionem, ut fraus fiat caeteris creditoribus.

XXIII. Haec fraus legis vi, ac potestate praesumitur, quotiescumque hypotheca fuerit creditori quaesita, atque in publicis tabulis descripta intra decem dies, qui proxime praecesserunt eum, quo debitorem facultatibus lapsum esse constitit, aut bonis ipse cessit, aut generale coeptum est inter creditores distributionis judicium.

XXIV. Eadem legis praesumptio locum habet etiamsi de ea hypotheca sermo sit, quae ex judicis sententia nascitur: est enim quod juste creditori imputetur, qui tamdiu sibi providere distulerit.

XXV. Hypotheca in re aliena constituta subsistet, si ipsa bona fide possideatur ab eo qui hypothecam concessit, aut si qui dominus est in rei suae oppignorationem ab alio factam consensum praebuerit.

XXVI. Si res communis fuerit ab uno ex ipsius dominis alio non consentiente obligata valet qui-

dem hypotheca pro parte ejus, qui in eadem consensit, non vero pro ea, quae ad alterum pertinet: atque ita jus obtinet tametsi in utriusque utilitatem conversa proponatur pecunia, quam alter accepit, cujusque nomine rem communem obligavit.

XXVII. Tribus modis hypotheca constituitur, ipsius legis auctoritate, jusdicentis imperio, denique domini voluntate, qui rem suam creditori obnoxiam velit ad crediti securitatem.

XXVIII. Apud Romanos ex domini voluntate poterat hypotheca constitui vel conventione, vel testamento, unde nata pignoris conventionalis, et testamentarii divisio.

XXIX. Quum in nova, qua utimur, lege sola commemoretur hypotheca conventionalis pacto videlicet constituta, ac eadem lex sileat de alio quovis hypothecae constituendae modo ex domini voluntate, palam est fuisse sublatam hypothecae testamento constituendae facultatem.

XXX. Romanorum jure non expresse tantum, sed et tacite potuisse hypothecam constitui extra omnem controversiam est.

XXXI. Si autem in novae legis conspectu quaeratur, utrum et tacite possit hypotheca constitui magis videtur germanae ejusdem legis sententiae consonum, nullam habendam esse rationem ejus hypothecae, quae tacita debitoris voluntate constituta dicatur.

EX JURE CIVILI.

DE HAEREDITATIBUS, QUAE AB INTESTATO DEFERUNTUR, TUM DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS.

I. Successio ab intestato in civili societate generatim spectata ex jure ipso naturali descendit.

II. Attento hoc jure fundamentum successionis ab intestato tacita, seu praesumpta defuncti voluntas dicenda.

III. Veruntamen quia plures occurrere possunt casus, in quibus quid probabilius defunctus voluerit difficile admodum sit definire, nemo non videt necessarium esse legis civilis interventum quae omnem dubitationem praecidat, certumque succedendi ordinem praestituat.

IV. In hoc autem successionis ordine praestituendo poterit Legislator, dummodo a tacita defuncti

voluntate omnino non recedat, politicis etiam rationibus temperare.

V. Apud Romanos leges XII tabularum tres fecerant successionis ab intestato ordines, suorum scilicet haeredum, agnatorum, et gentilium.

VI. Sed hoc jus legum Decemviralium, a quo aliquantisper primum per legem Voconiam recessum fuit, numero plures subinde mutationes passum est ex Praetorum Edictis, Senatusconsultis, et constitutionibus Imperatorum.

VII. Postremo Justinianus novam plane, et simplicem admodum juris ab intestato succedendi formam praescripsit quatuor inductis ordinibus, quorum primus est descendentium, secundus complectitur ascendentes una cum fratribus, sororibusque germanis, tertius fratres et sorores ex uno latere junctos, itemque ipsorum liberos primi gradus, quartus denique reliquos cognatorum.

VIII. In ordine descendentium gradus proximitas non necessario spectatur: adeoque nepotes, ac deinceps descendentes dummodo eos parentum nemo antecedat una cum aliis proximioribus gradu liberis admittuntur.

IX. At nihilominus pro diverso gradu diversus etiam est inter eos succedendi modus. Primi enim gradus liberi succedunt in capita, remotiorum autem graduum in stirpes.

X. A liberis legitime natis non differunt liberi

per subsequens matrimonium legitimati, quos pariter quibuscumque ascendentibus succedere exploratum est.

XI. Nullis extantibus descendentibus vocantur ad successionem ascendentes; sed inter eos servatur gradus proximitas ita ut, cum nullus eorum respectu sit locus juri repraesentationis, qui proximior est hic semper remotiores omnes excludat.

XII. Si pater et mater sint succedunt simul in capita: si autem agatur de admittendis aliis adscendentibus supra eos ex utraque parte qui omnes in eodem gradu inveniuntur, tunc fit haereditatis divisio in lineas, et unus semissis lineae paternae, semissis alter lineae maternae tribuitur, quem adscendentes in unaquaque linea inter se partientur.

XIII. Veniunt praeterea una cum adscendentibus fratres vel sorores defuncti si ex iis sint qui germani appellantur, tum praemortuorum istorum fratrum liberi primi gradus qui cum ipsis inveniantur.

XIV. Attamen ascendentes, et fratres, sororesve succedunt in capita. Praemortuorum autem hujusmodi liberi tantum in stirpes jure repraesentationis.

XV. Porro explosa fuit, et merito sententia illorum qui arbitrabantur patre, et matre praemortuis, ulterioris gradus adscendentes cum germanis illius fratribus non concurrere, sed ab iisdem excludi.

XVI. Quando nulli sunt ascendentes coeteris praeferuntur germani defuncti fratres vel sorores ipsorumque praemortuorum liberi primi gradus.

XVII. Si autem soli sint germanorum fratrum vel sororum liberi praeferuntur quidem ipsi suis thiis unilateralibus sive consanguineis, sive uterinis si quos habeant, sed iisdem jam fato functis si tantum eorum liberi supersint istis liberis non praeferuntur, uti nec thiis defuncti; propterea que omnes tunc simul hujusmodi personae ad successionem venire debebunt.

XVIII. Nullis existentibus fratribus, sororibusve aut eorum liberis vocantur ad successionem reliqui ex latere cognati, et prout eorum quisque proximior gradu est ita remotioribus praefertur.

XIX. Quod Regia lege cautum est de foeminarum exclusione ab haereditatibus ascendentium per personas fratrum germanorum vel consanguineorum vel ex his descendentium, quos eadem exprimit lex, ad eas res produci nequit quas parens binubas ex primi conjugis facultatibus vel directe ab ipso lucratus, vel ab aliquo communium filiorum per successionem ab intestato nactus fuerit, quasque juxta Romanam legem superstitibus ipsis filiis ex priore conjugio procreatis servare tenetur.

XX. In hoc porro Regia lege inducto vicariae successionis jure favore agnationis fratres germanos, et consanguineos simul concurrere certum est.

XXI. Contra quando agitur de exclusione matris et maternorum ascendentium juxta aliud ejusdem Regiae legis caput germanus frater fratri consanguineo praefertur.

DE LEGATIS, ET FIDEICOMMISSIS.

XXII. Legatum ex juris antiqua ratione rectius, nemo definivisse videtur quam Ulpianus hisce verbis: *legatum est quod legis modo, idest imperative testamento relinquitur.*

XXIII. Fideicommissum juxta ejusdem Ulpiani definitionem est *quod non civilibus verbis, sed precative relinquitur, nec ex vigore juris civilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis.*

XXIV. Quamquam plura olim erant inter legata et fideicommissa singularia discrimina, fuerunt tamen ea postea a Justiniano sublata qui eadem inter se exaequavit ita ut quae in altero genere ampliora atque utiliora essent haec ipso jure ad alterum pertinere voluerit.

XXV. Legatum in legatarii voluntatem conferri potest hoc adjecto *si legatarius voluerit,* quo casu conditionale erit, nec ad haeredes transibit, nisi ipse prius voluntatem suam declaraverit.

XXVI. In haeredis autem, vel extranei alterius cujuspiam expressam voluntatem legatum conferri nequit, sique conferatur nullum est.

XXVII. Error in accidentibus tantum vel personae legatarii, vel rei legatae plerumque legatum non vitiat, dummodo alias judicio legantis, de qua ipse vel persona, vel re senserit certo constet.

XXVIII. Tametsi regula est nec falsam causam, nec falsam demonstrationem legati viribus obesse, haec tamen regula suum perdit officium ubi adpareat vim conditionis sive in causa, sive in demonstratione contineri.

XXIX. Inutile item legatum est quod vel notandi legatarii, vel alieni captandi animo relictum fuerit.

XXX. Sed ad primum quod attinet excipiendi sunt liberi quibus a parentibus cum maledicto etiam acerbissimo utiliter legatum relictum semper intelligitur.

EX JURE ECCLESIASTICO.

DE CRIMINIBUS ECCLESIASTICIS.

I. Non omnes indiscriminatim pravae actiones legum vindicta coërcendae sunt; sed illas tantum quae graviter societati, aut aliis nocent expedit aliqua plecti poena.

II. Poenarum quae a civili lege infliguntur praecipuus finis est, ut alii delinquentis supplicio, et coërcitione deterriti a criminibus abstineant.

III. Non civilis tantum societatis Rectoribus, sed et Ecclesiae jus esse poenas aliquas decernendi ambigendum non est.

IV. Coërcitiones, quas Ecclesia infert aliae sunt clericis, et laicis communes, aliae clericorum propriae.

V. In hisce coërcitionibus decernendis aeternam fidelium salutem praecipue Ecclesia respicit.

VI. Poenae Ecclesiasticae aliae *latae sententiae* aliae *ferendae* appellantur.

VII. Latae sententiae sunt illae, quae sola legis vi, ac potestate effectum sortiuntur, quin ulla necessaria sit judicis sententia qua quis ad eas condemnetur; judicis propterea officium ad ipsas quod attinet, eo tantum respicit, ut declaret delictum fuisse commissum, ejusdemque reum in poenam lege statutam incidisse.

VIII. *Ferendae sententiae* dicuntur, quae judicis sententia decernuntur.

IX. Si lex Ecclesiastica poenas spirituales praescribat ipso jure locum habituras, delinquens, qui scit a se crimen admissum hisce poenis obnoxium, tenetur eisdem se subiicere antequam declarationis sententia feratur.

X. Aliter vero sentiendum si agatur aut de poenis civili lege statutis, aut de temporalibus, quas ipso jure Ecclesiastica lex decernit: obligatio ad eas subeundas non oritur, nisi judicis declaratio jam fuerit subsecuta.

XI. Civilia crimina, quae scilicet directe civilem societatem loedunt, quamdiu occulta manent in foro tantum interno Ecclesiae subsunt judicio.

XII. At si hujusmodi crimina publica evaserint, atque alios scandalo offensos commotosque fuisse constet, poterit Ecclesia contra delinquentes et publicam poenitentiam decernere.

XIII. Si contingat delinquentes temere contemnere poenas spirituales pro publicis criminibus illatas, brachii secularis auxilium, quoties necesse fuerit, erit petendum.

XIV. Ubi laicus in divinorum officiorum contemptum publicas perturbaverit supplicationes in sacris aedibus, aut extra earum septa, poterit de hoc crimine judex Ecclesiasticus saltem praeventionis jure cognoscere.

XV. In sacrorum ministris summa requiritur morum integritas: quaedam propterea actiones laicis permissae vel extra poenam relictae clericis sub poenae comminatione prohibentur.

XVI. Inter coërcitiones clericis et laicis communes major, et minor excommunicatio recensenda est.

XVII. Ex antiqua Ecclesiae disciplina clericus majori excommunicatione perculsus eo ipso jura clericorum propria amittere intelligebatur.

XVIII. Jure tamen decretalium major excommunicatio impedit quidem jurium clericalium usum, sed ipsa minime tollit.

XIX. Jus clericis concessum est, ut pro criminibus, seu delictis civilibus, et communibus coram judice Ecclesiastico ipsi conveniri debeant.

XX. Hoc fori privilegio gaudent non solum Clerici, sed etiam monachi, regulares et sanctimoniales: novitii autem, quum uti personae Ecclesiasticae haberi non possint, eodem jure non fruuntur.

XXI. Fori privilegium amittunt Clerici qui post trinam monitionem habitum, et tonsuram Clericalem non deferunt, quod quidem obtinet etiam quoad Clericos beneficium habentes sive in minoribus tantum, sive in majoribus ordinibus sint constituti.

XXII. In hanc poenam Clericus contumax incidere existimandus est, etiamsi non fuerit prolata sententia, qua ipse privilegio spolietur.

XXIII. Clericus, qui ob non impletas conditiones Clericorum albo fuit expunctus, ac privilegium fori amisit, non poterit illud recuperare, nisi Ordinarii auctoritate in Clerum rursus admittatur, ejusque nomen in Clericorum tabella reperiatur.

XXIV. Iis omnibus in casibus, in quibus vel ex juris communis dispositione, vel ob neglectas conditiones a Tridentino Concilio praescriptas Clerici privilegio fori carebunt, Magistratus saeculares contra illos cognoscere poterunt, quin requiratur, ut ante a gradu suo deiiciantur.

XXV. Si personae Ecclesiasticae delinquant contra leges civiles aliquas actiones sub poenae comminatione prohibentes iis erunt poenis plectendae, quas infligendi potestatem habet Ecclesia tum jure proprio, tum ex Principum consensu.

XXVI. Privilegium fori impedimento non est, quominus per Principum decreta, quae *aeconomica* vulgo appellantur poenae quaedam contra Clericos injungantur.

XXVII. Poterunt Magistratuum apparitores Clericum crimen committere volentem comprehendere et in carcerem detrudere, ut crimen impediant.

XXVIII. Multo magis id poterunt si crimen grave jam fuerit a Clerico commissum.

V. Ex Deleg. D. D. Archiep.

Can. Zappata

V.° ✠ ALOYSIUS Archiep.

Bonissani Praeses.

Cridis C.

Billotti Cons.

Imprimatur:

MALASPINA Moderator.

INDEX.

THESES

EXCERPTAE EX COMMENTARIIS.